



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 125. Sessio XII. Concilii Ferrariensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

alii enim in arenam descenderunt, ubi Sæcul. XV.
 in proxima Sessione initum est certamen A. C. 1438.
 non minus diuturnum, quam crebris u-
 trinque contentionibus fervidum.

§. CXXV.

Sessio XII. Concilii Ferrariensis.

Die Sabbati, quæ erat decima quinta Ibid. p. 179.
 Novembris, habita est Sessio duode-
 cima, Marco Ephesino & Juliano Cardi-
 nale ad disputandum convenientibus.
 Præcipuum disceptationis argumentum
 circa Charisii Symbolum, & Ephesini in-
 terdicti explicationem versabatur. *In*
tertia Oecumenica Synodo, inquiebat Mar-
cus, Charisius quidam oblato adversus
Nestorianos libello, factaque fidei suæ expo-
sitione aliter ac Nicæna fides exposita est,
se habente, non fuit a Synodo redargutus,
constat igitur ex hoc, non alteram simplici-
ter fidem, sed contrariam esse vetitam: ita
se habet argumentum tuum, responde. Pro-
 ponentem excepit Julianus Cardinalis
 dicens: *Non opus est, ut ex me tua Reve-*
rentia nunc quærat; cum sessione proxima
omnia plane, clareque dixerim, imo etiam
scripta tradiderim. Ast cum Marcus E-
 phesinus certum responsum sibi dari po-
 stularet, Imperator dixit; *Si opus est, a-*
lii Patres respondeant. Cum vero Julia-
 nus haud obscure cognosceret, magis
 Cc 2 suum

Sæcul. XV.
A. C. 1438.

suum quam alterius Cæsari placere responsum, in hunc modum effatus est: *Charisius obtulit Synodo fidem suam, quæ sane catholica erat; postea confictum Nestorianis Symbolum recitatum est. Synodus reprobavit confictum Symbolum, non expositionem fidei a Charisio factam. Quod si Charisio non licuisset exponere; profecto Synodus abrogasset illam, ac rejectisset. Dixi etiam, expositionem & confessionem fidei Charisii similem plane esse Nicæno Symbolo, exceptis duabus, aut tribus dictionibus, quæ etiam veræ sunt, & piæ. Multis defensionibus, atque exceptionibus ultrocitraque hac super re iteratis non modicum temporis spatium absumebatur.*

Sub finem disputationis Julianus Cardinalis opportune Græcis obtrudebat ista quoque verba: *Qui descendit de caelis, uti & hæc, secundum scripturas, in nonnullis Constantinopolitani Symboli manuscriptis Codicibus desiderari, præterea Latinos has voces addidisse: Deum a Deo, nec propterea unquam a Græcis objurgatos, sicut tamen propter illam vocem: Filioque reprehenderentur. Andreas Rhodius quoque in suo sermone, illa verba: Descendit ad inferos Symbolo, quod Apostolorum vocant, adjecta fuisse affirmabat. His peractis Marcus Ephesius aliam quæstionem ordiri meditabatur, scilicet, an Ecclesiæ Romanæ, & summo Pontifici-*

Pontifici quicquam Symbolo addendi potestas competat? Verum Julianus Cardinalis hanc controversiam opportuniori tempori reservandam censuit, iterum, iterumque obsecrans, ut ad *disputationem de Sancti Spiritus processione accederent, quod si, inquit ille, convenerimus in ea, quæ est de Spiritu Sancto, controversia, persuasum mihi est fore, ut etiam in aliis facile, pleneque conveniamus.*

§. CXXVI.

Sessio decima tertia Concilii Ferrariensis.

Sessione XIII. die Jovis vigesima septima Novembris celebrata, Patres exce-
perunt Legatos a Philippo bono Burgundia Duce ad Synodum missos, qui numero quatuor erant; scilicet Teruanensis, sive Morinensis, Cabillonensis, & Nivernensis Episcopi unacum Cisterciensium Abbate.

*Acta Conc.
Flor. to. 13.
p. 207.*

§. CXXVII.

Ducis Burgundia Oratores ad Synodum admisi.

Verum parum absuit, quin importuna Oratorum morositas hucusque bene cæpta unionis negotia dissiparet; cum enim ad Synodi locum venissent, ac sum-